

15
Etsi autem non omnes se prorsus huic studio addicere volent, tamen hæc initia ignorare homines literatos turpe est, & alienum humanitate. Quomodo sint contrarij motus orbium, de solis cursu quæ sint æquinoctiorum, ac solstitiorum causæ ac notæ, cur in alia circuli parte tardior sit motus, in alia velocior, Quomodo solis cursus, quomodo poli altitudo spacia dierum mutet, Quæ sint umbrarum differentia, ex quibus cum alia multa deprehensunt, tum etiam solis & terræ magnitudines, Qui sint regionum situs, Quare Luna singulis mensibus occultetur, & postea prodians paulatim impleat orbem, Quæ Eclipsium causæ sint. Hæc atq; alia multa in facilima parte huius libelli traduntur, quæ tamen ipsa locupletissimam quandam doctrinam continent nec explicari possunt, nisi multa requiramus ex fontibus, ubi de causis disputatur. Quare magnæ operæ præcium faciunt studiosi in hoc libello cognoscendo omnes, sed generosæ naturæ degustatis his initijs ad cætera ingenti animo contendere debent, ut pulcherrimam & suavissimam philosophiæ partem absolutam, ad vitæ usum accommodare possint & causas videre, unde
sint